DECISIO
S. ROTÆ ROMANÆ
Coram R. P. D.
CORRADO
IN CAVSA
Hiſpalen. Decimarum.

Lunæ 22. Iunÿ 1648.

ROMAE, Ex Typographia Reu. Cam. Apoſtol. M. DC. XLVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

AVDITIS iterum informantibus pro Venerab. Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Hiſpaleñ ſuper reſolutione facta die 26. Iunij 1647. coram me, Domini ſteterunt in deciſis.

Quia releuantia materiæ articulatæ pro Collegijs viſa fuit ſatis probari ex adductis in eadem deciſione. Ea verò quæ pro Capitulo reperiuntur altiorem expoſcere diſcuſſionem, quam propoſitæ diſquiſitionis exigit ratio, ac proinde ad merita cauſæ referenda. Nam ad effectum, de quo agitur, ſufficeret etiam releuantia probabilis excluſiua ſuſpicionis calumniæ, cum non agatur de ipſius cauſæ definitione, ſed de probationum admiſſione, quæ durè nimis coarctari non debet, ſed fauorabiliter adiuuari, vt in concluſione negotij rei veritas pleniùs excuſſa clarior elucescat *l. quoniam multi. in fin. C. de hæret. & Manich. l. Iudices. cum auth. ſeq. C. de fid. inſtr cap. fin. 30. q. 5. Sura dec. 43. nu. 5. verſ. quinimò. & dec. 153. nu. 25. verſ. Et hæc pars. Rot. penes Veral. deciſ. 59. nu. 1. & deciſ. 61. ſub nu. 1. verſ. ſed hoc iudicari debet. par. 3. & ſan. mem. Gregor. deciſ. 124. ac deciſ. 523. num. 2. verſ. non obſtat prætenſa calumnia. & in recent. deciſ. 503. ſub num. 2. verſ. & Rota &c. & deciſ. 720. ſub num. 3. verſ. ad prædicta enim fuit reſponſum &c.* (vbi hoc benè explicatur) *par. 2. & deciſ. 277. ſub num. 3. verſ. ſicut etiam viſum fuit. par. 3. & fuit dictum in Fauentin. benefic. 27. Iunij 1644. coram R.P.D. meo Cerro. in fin. princip. verſ. non enim. & in Maceraten. pecuniar. 27. Ianuarij 1645. coram R. P. D. meo Otthobono. & in Piſauren. donation. 26. Iunij 1647. coram ead. in §. & quamuis in præſenti caſu. verſ. ſufficit autem.* ac nuper in *Toletana decimarum 16. Martij huius anni coram R. P. D. meo Celſo.*

in §. & videtur. verſ. licet de prædictis.

Neque viget replicata obiectio improbabilitatis articulatæ immemorabilis ob lites cęptas de anno 1502.

Quia (præter quod in illis litibus non fuit deducta, nec actum de ea,) omnes fuerunt prorſus extinctæ per ſanct. mem. Leonem XI. vt apparet ex eius litteris Dat. die 23. Aprilis anno 1605. in verſ. Nos qui inter Eccleſiaſticas perſonas &c. ibi, *Nec non quaſcunque lites, & cauſas præmiſſorum occaſione hactenus inter Venerabiles fratres Archiepiſcopos &c. & quaſuis Metropolitanas Cathedrales, & alias Eccleſias &c. & Eccleſiaſticas perſonas dictorum Regnorum ex vna, et dictam Societatem, et quaſuis illius domos etc. nec non Collegia etc. et alia loca quæcunque ex altera parte coram quibuſcunque Iudicibus etc. et in quacunque inſtantia tam coniunctim, quàm diuiſim pendentes etc. quorum ſtatum, et merita etc. præſentibus pro expreſſis haberi volumus in eiſdem ſtatu, et terminis, in quibus reperiuntur ad Nos harum ſerie auocantes, illaſque penitus extinguentes &c. ac perpetuum partibus ipſis ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis ſilentiũ imponentes &c. Motu proprio Statuimus, &c.* Ideoq; tempus illud ad hunc effectum conſiderari non debet, ſed dumtaxat præſentis iudicij inſtituti anno 1625. vt fuit in præcedenti deciſione reſponſum in §. *deinde non obſtat, quod prædicta conſuetudo ſit improbabilis.*

Minus releuat, quod huiuſmodi extinctio conſeri debeat reſtricta quoad priuilegia Societatis, non autem quoad alios effectus.

Quoniam aſſertio hæc manifeſtè repugnat tum rationi, ac legum diſpoſitioni, vt habetur *in cap. 1. extr. de tranſact. in l. non minorem. & l. ſub prætextu ſpecierum. C. eod. tit. Rot. priores Manred. deciſ. 3. de tranſact. & ſan. mem. Gregor. deciſ. 254. ſub num. 8. verſ. non dubitarunt Domini &c. & ſeqq.*

ſeqq. Sarneuſ. ad Regul. de non tollend. iur. quæſit. quæſt. 7. verſ. tamen prædictis non obſtantibus. & in fin. verſ. aut vero Papa &c. tum verbis earumdem litterarum vniuerſalibus, ac geminatis, ibi, *quaſcunque lites, & cauſas præmiſſorum occaſione &c. penitus extinguentes &c.* quæ omnimodam, ac totalem præſeferunt extinctionem, *vt no. Archid. & alii DD. in cap. 1. in verb. penitus &c. de ſupplend. negligent. Prælat. in 6. Suad. conſ. 267. num. 16. verſ. quia dictio* (penitus) *Rot. penes Card. Seraphin. deciſ. 447. ſub num. 4. verſ. ponderanda eſt etiam dictio* (penitus,) *& in recent. deciſ. 270. num. 5. verſ. & dictio* (prorſus,) *& deciſ. 291. nu. 20. verſ. & ceſſat hoc caſu difficultas par. 4. tom. 2. & deciſ. 305. num. 14. verſ. iuxta propriam naturam, et importantiam illius dictionis* (penitus) *par. 7.*

Præterea non obſtat, quod eadem immemorabilis fuerit pro Collegijs deducta in hac ipſa cauſa in partibus tūc vertente, & ſuper ea plurimi teſtes examinati, eorumque dicta teſtificata.

Quia vt in eadem deciſione reſponſum fuit in §. *non obſtat demum etc.* non fuit in illis articulis deducta immemorabilis, ſed tantùm longiſſimi temporis poſſeſſio, ſiue præſcriptio à quadraginta, & pluribus annis citrà, vt legitur in quarto, & quinto, in ipſo proceſſu fol. 552. & ſeqq. Quæ ſanè longè differt ab immemorabili modo articulata cum neceſſarijs requiſitis *iuxta gloſſ. communiter receptam in cap. fin. in verb. memoria. verſ. ſed quomodo probabitur. de præſcr. in 6.* Ac proindè quicquid circa prædicta fuerit actum impedire non poteſt nouas probationes ſuper articulis nunc exhibitis aliam, ſeu magis explicitam in ſubſtantia materiam continentibus, vt fuit deciſum penes *ſanct. mem. Gregor. deciſ. 191.*

Bu-

Burat. deciſ. 392. Coccin. deciſ. 23. & in alijs relatis *in Camerinen. penſion. 4. Maij 1640. coram R.P.D. meo Bichio, et in d. Fauentina benef. 27. Iunii 1644. coram* R. *P.D. meo Cerro. in* §. *preterea. verſ. immo cum negari non poſſit etc.* & in his terminis *in Toletana decimarum 4. Decembr. 1615. coram bon. mem. Seleucien. in recent. deciſ. 715. par. 3. et in Toletana decimarum de Verceal. 14. Mart. 1616. coram Burat. deciſ. 163.* & nuper *in d. Toletana decimarum 16. Martii huius anni coram* R. *P. D. meo Celſo. in* §. *nec dicatur, quod ſuper eiſdem articulis etc.*

Nec aduerſatur, quod in illis etiam fuerit deducta quadragenaria, & auditu à maioribus, quodque nec illi, nec viuentes quicquam in contrarium viderint, nec audiuerint, ac etiam publica vox, & fama.

Quia cum prædicta fuerint articulata ad corroborandam probationem ſolius quadragenariæ in ipſis articulis ſpecialiter deductæ, nullius ſunt releuantiæ quoad immemorabilem nullatenus in eis comprehenſam, * de cuius probatione dum agitur principaliter neceſſarium eſt, quod articuli, ac teſtes ſuper illa præcisè concludant cum ſuis requiſitis iuxta gloſſam præcitatam, vt reſpondit R*ot. in Pacen. decimarum coram Card. Seraphin. deciſ. 1102. num. 2. verſ. aut ex teſtibus. cum ſeq. & in Hiſpalen. decimarum coram Cardin. Mantic. deciſ. 289. ſub num. 4. verſ. neque enim agitur. ac in Marianen. decimarum coram ſan. mem. Gregor. decis. 449. num. 9. verſ. nam quoad immemorabilem &c. & in d. Toletana decimarum de Verceal. coram Burat. deciſ. 163. num. 8. verſic. nec poteſt dici immemorabilem fuiſſe articulatam &c.*

Non obſtat demum quod agatur de executione litterarum Apoſtolicarum.

Quia litteræ prædictæ non impugnantur, ſed cum indigeant

geant interpretatione non ſolùm quoad ſpecies fructuum decimalium (vt aſſerunt informantes pro Capitulo) verum etiam quoad ipſas Eccleſias, quibus (circunſcriptis priuilegijs particularibus Societatis) decimæ ſolui debent, vt in eis legitur in *verſ. Motu proprio &c. ſtatuimus &c.* ibi, *loco decimæ vigeſimam &c. eorum fructuum &c. de quibus de iure, vel conſuetudine decimari ſolet Eccleſiis, quibus alioquin circunſcriptis dictis priuilegijs decima perſolui deberet, perſoluere teneantur, & obligati exiſtant &c.* Prætenditur enim pro Collegijs, quod circunſcriptis etiam priuilegijs peculiaribus Societatis in eiſdem litteris expreſſis, non tamen ſoluenda ſit decima petita per Capitulum ſtante dicta conſuetudine immemorabili ad fauorem vniuerſi Ordinis Mendicantium vigente, quia non fuerit in dictis litteris expreſſa, nec à Summo Pontifice abrogata. Ideo reijci non poteſt illius probatio (cuius effectus ad merita, vt præmiſſum eſt, plenius diſcutietur) *Rot. penes Card. Seraph. deciſ. 980. ſub num. 12. verſ. non obſtat quod dicitur. et in recent. deciſ. 348. ſub num. 2. verſ. verum dato. par. 3.* & comprobatur *ex Mantic. deciſ. 194. num. 9. verſ. diuerſum eſt &c. Caualer. deciſ. 404. ſub num. 1. verſ. cum autem. & Coccin. deciſ. 122. ſub num. 3. verſ. quia non agitur.* & ex alijs adductis in præcedenti deciſione in *§. poſtremo non obſtat &c.*

Et ita fuit reſolutum vtraque parte informante &c.

[illegible] año de
678 sobre los diezmos de la
Compª con la iglesia de Sevilla.